



Universitätsbibliothek Paderborn


**Nervi Sine Mole: h. e. Controversiarvm Roberti Bellarmini
S. Rom. Ecclesiae Cardinalis Eminentissimi Compendium,
à cavillis & imposturis Guilielmi Amesij ... Vindicatum**

Erbermann, Veit

Heripoli, 1661

Cap. I. De Statu Quaestionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9498



TOMI IV. LIBER PRIMUS,
DE
GRATIA PRIMI HO-
MINIS.

C A P U T I.

De statu quæstionis.



Ntiquum & solenne suum tenet
hic Amesius. Sicut in canda dra-
conis desit, ita à capite serpentis,
h.e convitiis & calomniis auspi-
catur hunc Tomum IV. In ipsa
Dedicatoria ad Curatores Acade-
mia Frisorum quiritur sycophantice & ait 1.
Bellarminus hic (sicut callidum & veteranum Sophistam
decuit tanquam canis ad Nilum bibit & fugit: & mihi le-
gem imposueram ipsius vestigia tantum premendi, idque
breviter. Veretur igitur ne quarundam rerum explicatio nimis
videatur curta, &c. Risum teneatis amic! Quid quæso
plene perfecteque non tractavit Bellarminus?
2. In hoc 1. capite statum quæstionis à Bellarmino
clarissimè propositum carpevolens vix invenit an-
sam. Arguit ergo curiositatis ingenia Scholasticorum,
quod varias quæstiones excogiant de statu & conditione
primi hominis ante lapsum. Bellarminus verò, inquit A-
mesius, cæteras omnes quæstiones prætermittens, ultimam
(quæ est de distinctione inter naturam puram & ju-
stitia originali ornatam) suscepit exagitandam, revera
contra alios Pontificios (- -) sed auctoratio verborum tribuit
eam nostris (Lutheri-Calvinicis) qui intra Scripturæ &
modestia limites manentes ab istiusmodi qq. quantum fieri

Aaaa 2

potuit.

2. Tomi IV. Lib. I. De gratia primi hominis.
potuit, religiosè semper abstinuerunt. Causam ipsem et de-
clarat c. i. quia nostri luctam carnis adversus spiritum
verè ac propriè peccatum esse definiunt; & proinde
iustitiam, quæ illam rebellionem tollit, ad naturalem
hominis integri constitutionem pertinere. Hic igitur
est genuinus controversia status, quæ spectat ad nos: an illa
rectitudo, qua luctam carnis adversus spiritum excludit, sit
hominis integro naturalis nécne? Vbi Notandum I. Iniquè
reprehendi Scholasticos, quod de variis / non tam
primi hominis ante lapsum quam) humanæ naturæ stati-
bus disputent. Cum enim hæc varias conditiones
& modos se habendi in ordine ad gratiam & ulti-
mum finem subire possit; quis dubitet, Theologi esse,
de illis ex principiis revelatis & ratione differere?
II Mendacium satis luculentum esse, aliquo verborum
aucupio tribui Lutherico-Calvinicis errorem, in quem
incautè præcipitavit Catholicis Michaël Bajus De-
canus Lovaniensis, minimè tamen pertinax in eo
tuendo, uti nostris temporibus eundem cum arro-
ganti pervicacia renovavit Corn. Iansenius Episcopus
Iiprensis. Idem prorsus quod Bajus & Iansenius, e-
tiam Calvinum & Lutherum docuisse, negari ne-
quit, cum apertissimæ extent eorum apud Bell. re-
citatae sententiae. Delapsi autem sunt in contrarias
pugnantésq; sententias Pelagiani æquè ac Iansenio-
Calvino-Lutherici, ex uno eodemque fallaci prin-
cipio. Vtrique enim in primo homine nullum
agnoscunt supernaturale donum, sed naturales tan-
tum facultates, & finem unicum visionis beatificæ,
ad quem necessariò hominem condi debuisse con-
tendunt. Differunt vero, quod Pelagiani, cum cer-
nerent, in homine post lapsum naturalia remansisse
integra, indè intulerint, nihil per Adami lapsum in
nobis esse deperditum, adeoque talem esse etiam
num humanam naturam, qualem initio primus ho-
mo de manu Conditoris acceperat. Iansenio-Cal-
vino-Lutherici autem, cum pro comperto habeant,
hominem per lapsum Adami factum esse deterio-
rem,

Cap. I. An status pura natura posibilis?

rem, pariter nihil supernaturale in prima conditione admittant, eò venire compulsi sunt, ut dicant, aliquid naturale (quale in primis est liberum arbitrium) naturæ hominis nunc deesse; aut certè non nisi libertatem à coactione illi supereesse. Vnde ulterius inferunt; Non potuisse hominem initio ita condi, uti nunc nascitur: quia cùm illam luctam carnis & spiritus quam experimur, credant esse verè, proprie, & formaliter peccatum, consequenter si à DEO procederet, hominis ita conditi peccata in auctorem naturæ DEV M refusum iri statuunt.

Contra hos omnes errores Catholica veritas docet, 1. hominem non fuisse creatum qualis nunc nascitur, primum ad malum, infirmum, ignorantem; sed rectum, justum, sapientem, sine concupiscentia & difficultate, quam ipsi in nobis experimur: (& haec tenus Calvinus Lutherici nobiscum contra Pelagianos stant.) 2. Potuisse tamen absolutè D E V M ab initio talen hominem, si libuisset, condere.: Defacto igitur integratem illam, cum qua primus homo conditus fuit, & sine qua post lapsum homines omnes nascuntur, non fuisse naturalem ejus conditionem, sed supernaturalem ejus esse. Ut hæc veritas adstruatur, pro majori explicatione Notandum

III. Hominem naturaliter constare ex carne & spiritu, ex quorum diversis, vel contrariis propensionibus ad bonum scil. corporale & spirituale, in uno & eodem homine pugna quædam existit, & ingens bene agendi difficultas. Amelius hanc liquidissimam veritatem obtenebratur, fingit & supponit quod maximè in questione est; nempe, Iustitiam originalem qua corrigitur & componitur illa lucta inter partes adversas (carnem & spiritum) ad integratatem hominis pertinere. Fraudulenter ergo hic utitur vox *hominis integri*. Etsi enim natura humana condita cum illa repugnantia carnis & spiritus propter integratatem corporis & animæ quoad vires omnes con-

naturales dici queat integra, id est, non monstrosa, nec imperfecta privativè, (per carentiam perfectio-
nis debitæ naturæ etiam si negativè sit imperfecta, id
est, sine pefecto ordine & concordia potentiarum &
appetituum, cuius natura ea est capax, licet non sit
debita: tamen ex communī usu Theologorum/ cui
ē Catholicis, præter Durandum pro consueta sua sin-
gularitate, nemo contradicit) *natura integræ* propriè
dicitur, in qua ultra omnes naturales facultates ha-
beat homo quandam specialem perfectionem, quæ
consistit in carentia fomitis & effrenatæ concupis-
centiæ. Sophistica ergo cavillatio & æquivocatio fu-
tilis est, quicquid h̄ic Amesius objectat tum huic,
tum sequenti 4. Notationi, scil. DEVM ut reme-
dium adhiberet huic morbo seu languori appeti-
tuum contrariorum, addidisse homini iustitiam ori-
ginalem, quæ veluti aureo frano pars inferior parti
superiori & pars superior DEO facile subiecta con-
tineretur. Sic autem subiecta fuit caro spiritui, ut
non posset ipso invito moveri, neque rebellis fieri,
nisi ipse fieret rebellis DEO: in potestate tamen spi-
ritus fuit, rebellem DEO fieri & non fieri. 5. Na-
turale multis modis dici quid posse. 1. id omne quod
habetur à nativitate; sic Eph. 2. dicimus *naturā filij ira-*
2. id quod est naturæ consentaneum, ea neque ornat
& perficit. 3. quod tametsi sit donum gratuitum, ta-
men naturam juvat ac perficit in operibus naturali-
bus, neque eam elevat ad opera supernaturalia. Et
sic iustitia originalis si distincta esse intelligatur à
gratia gratum faciente, donum naturale dici potest.
4. omne id quod est pars naturæ, aut fluit à princi-
piis naturæ. Et hæc significatio h̄ic propria est, cui
proinde valde proprie opponitur supernaturale.
Rectitudinem ergo illam primo homini collatam
dicimus fuisse supernaturalem, non quod em perac-
cidens tantum (uti est sensus videndi cœco nato
restitutus) sed per se, ita ut nec ex principiis naturæ
fluxerit, nec fluere potuerit. Nec omnino abnuere
hoc

hoc ausus est Amelius; ait tamen, illam fuisse conditio-
nem moralem naturæ illi debitam, quæ ad justè operandum
fuit creata. Quam hoc falsum sit patebit ex cap. 2.
& 3. Hic solum addo, sufficere naturæ sic conditæ au-
xilia ordinis naturalis actualia, quibus posset pecca-
ta evitare, & præcepta naturalia servare, & sic finem
suum naturalem consequi. Fuit itaque donum il-
lud ita supernaturale, ut non magis differat status
hominis post lapsum Adæ à statu ejusdem in puris
naturalibus, quam differt spoliatus à nudo, adeoque
status talis puræ naturæ omnino est possibilis, ut
cum S. Thomæ, Scoto, Durando, Occamo docent o-
mnes Catholici; ut proin considerandum reliquerit
Ioan: Mart. Ripalda Tomo III. de Ente supernatu-
rali Disp. 8. num. XVII. risumne an iram mereantur
Iansenitæ, dum non unum aut alterum, sed omnes
Theologiæ Scholasticæ Primores, & ceteros omnes
tam veteres quam recentes Scriptores Pelagianismi,
Manichæismi, Atheismi, & multiplicis in DEI
bonitatem & justitiam blasphemiarum insimulare au-
dient. Quorum sententiam rectius Luyius Torres
erroneam, auctoritatem pronunciat, & hæretico-
rum propriam hic retulit Bell. Nullus saltem erit
Theologus, qui eam à nota temeritatis excuset.

C A P V T S E C V N D V M.

Adstruitur Rectitudo primi hominis ex
gratia, adeoq; possibilis status puræ
naturæ.

I. Ex SS. Scriptura. Nam Gen 3. illis verbis, *Puluis
es & in pulverem reverteris.* indicatur, quo per pecca-
tum primus homo delapsus ac dono supernaturali
ob culpam spoliatus fuerit, adeoque ad statum suum
naturalem reciderit. Ps. 8. describitur ad quam glo-
riam sublimatus fuerit homo: & Ps. 48. casus ejus-
dem: *Homo cum in honore esset, non intellexit, compara-*